

orat ut Deus nos convertat, ut rebelles ad se compellat propitius voluntates, ut infideles trahat ad fidem, etc. Quas orationes non ad hoc fundit Ecclesia, ut Deus solum nos excitet propositione objecti, et doctrinæ, offeratque ex parte sua concursus indeterminatum, quem nos consensu nostro determinemus, sed ut ipsum consensum faciat in nobis, nec etiam ut det nobis concursus simultaneum præcise, quia hic supponit voluntatem nostram jam conversam et consentientem, si quidem simul atque concorditer cum Deo influit, sed ut convertatur et consentiat, seu ex non consentiente fiat consentiens, hoc erat Ecclesia, quæ pro rebellibus voluntatibus et non credentibus, seu non consentientibus orat ut consentientes fiant. Deducitur clare ex Augustini epistola cVII ad Vitalem, ubi id apertissime tractat, præsertim in principio epistolæ, et circa finem. Dicit enim in principio epistolæ sic: « Cum audis, quod ait Apostolus, Deus operatur in nobis velle et perficere, respondes, per legem suam, per Scripturas suas Deum operari ut velimus, quas vel legimus, vel audimus, sed eis consentire, vel non consentire ita nostrum est, ut si velimus fiat, si nolimus nihil in nobis operationem Dei valere faciamus: (quid apertius pro assertione opposita voluntatis Dei indifferentis quæ a nostra operatione et consensu efficax, vel inefficax redditur?) operatur quippe ille, dicis, quantum in ipso est ut velimus, sed si eis acquiescere nolumus, nos ut operatio ejus nihil in nobis prosit, effecimus. Quæ si dicis, profecto nostris orationibus contradicis. » Et circa finem epistolæ: « Numquid, inquit, prohibebis Ecclesiam orare pro infidelibus ut sint fideles, pro iis qui nolunt credere, ut velint credere, pro iis qui ab ejus lege, doctrinaque

dissentiunt, ut legi ejus, doctrinæque consentiant? » Et tandem concludit: « Hæc et alia testimonia, quæ commemorare longum est, ostendunt Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, et prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum, ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur. » De eodem videri potest Augustinus libro de gratia Christi, cap. xxv, et libro de prædestinatione sanctorum, c. xx, et aliis multis locis, quibus ex oratione qua rogamus Deum ut nos convertat, probat ab ipso donari et præveniri hanc voluntatis determinationem. Ex hoc autem assumitur argumentum ad probandum decretum illud, et voluntatem Dei indifferentem non dari, sed determinate ad consensum. Nam oramus Deum pro consensu bono nostræ voluntatis determinate, non pro oblatione concursus indifferentis, ex quo potest non sequi consensus; nec solum oramus ut Deus alios convertat, et voluntates eorum mutet, sed ut nostras proprias voluntates obedientes sibi faciat, et rebelles voluntates ad se propitius compellat, et tamen Deus offert nobis indifferentem illum concursus, et excitationem sufficientem, et sæpe valde vivacem, et tamen adhuc oramus ut rebellem nostram voluntatem ad se compellat, quia hæc oratio generalis est pro omnibus, etiam qui valde vivacem habent excitationem, et cognitionem, et tamen nondum determinantur et convertuntur: ergo sentit Ecclesia quod post oblatum concursus indifferentem, in quo nondum relucet determinatio ad consensum bonum, et post excitationem, et propositionem objecti factam a Deo, etiam vivacem, et vehementem, aliquid restat exhibendum a Deo et donandum, quo fiat con-

sensus iste, et motus voluntatis nostræ. Quid est illud, si non est determinata efficacia causans eum? Nam si est oblatio indifferentis concursus, aut illustratio, et vivida objecti propositio, post totum hoc potest voluntas non consentire, et sic restat voluntatem se determinare, et non manere inconversam, et induratam sicut ante. Et posset Deus dicere: Quid amplius a me petitis, cum ego vestrum expectem consensum, ut de facto cooperer, et in manu vestra est incipere, et determinare ut ego prosequar? Non ergo nisi ridicule ego peterem a Deo ut meam voluntatem convertat et emolliat, si ipse Deus expectat meum consensum, ut ipse cum efficacia et determinatione operetur.

XXI. Confirmatur, quia Deus potest promittere mihi obedientiam meam, et consensum ab bonum, sicut fidem, quæ importat motum voluntatis, ut manifeste docet Augustinus libro de prædestinatione sanctorum, c. x. Ergo potest eundem consensum et determinationem nostram causare. Consequentia est manifesta in S. Augustini loco nuper citato ubi inquit: « Quando promissit Deus Abraham fidem gentium, dicens patrem multarum gentium posui te, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promissit: promissit enim quod facturus ipse fuerat, non quod homines, quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcipit, non ipsi faciunt, ut ille faciat quod promissit, alioquin ut promissa Dei compleantur non in Dei, sed in hominum est potestate. » Ex quibus verbis declaratur sic vis argumenti: Deus promittit fidem gentium, quæ stare non potest sine motu libero, et consensu, et determinatione voluntatis, etiam ut libere oritur ab ipsa, quia, ut Augustinus inquit, credere

non potest homo nisi volens. Si ergo ad hunc motum, et determinationem voluntatis habendam solum offert Deus indifferentem concursus, et habet decretum, seu prædestinationem indifferentem ex parte sua, et non efficacem et determinatam, sed solum ex præscientia sua, qua videt voluntatem creatam determinandam, et determinaturam divinum concursus, et decretum: ergo aliquid promittit Deus quod non est ipse facturus, et cujus non erit efficiens, sed solum coefficiens; determinationem autem ejus præscit, non causat. Patet consequentia, quia in illa fide gentium, quam Deus promittit, includitur ipse motus, et determinatio voluntatis nostræ, cui Deus solum offert indeterminatum concursus suum; promittit autem Deus non solum concursus suum indeterminatum, sed actum ipsum determinatum credendi, videlicet ipsam fidem gentium: hoc autem determinatum Deus præscientia sua attingit, non efficacia, et decreto suo causat, licet ei concauset, et cooperetur ad effectum: ergo aliquid in illa fide promittit Deus quod non facit, sed præscit et supponit, et a quo denominatur efficax; alioquin si illud etiam causat, et facit Deus, antecedenter est efficax decretum suum, non ab illo quod causat efficax dicitur; et tamen promittit Deus etiam motum illum, quia totum quod in fide est, absolute promittit: ergo promittit aliquid quod non facit, sed præscit, et quod per alium adimplendum est, scilicet per voluntatem nostram, a cujus consensu expectat denominationem efficaciam suam. Consequens non solum est contra dicta verba Augustini, sed etiam contra ea quæ statim subdit: « Creditur Abraham dans gloriam Deo, quoniam quæ promissit, potens est et facere: non ait prædicere, non ait præscire;



nam et aliena facta potest prædicere, atque præscire, sed ait potens est et facere, ac per hoc non aliena facta sed sua. » Sed promittit propriam determinationem, et consensum voluntatis meæ, etiam ut liberum, et ut a me, ut patet in promissione fidei: ergo illum non solum præscit et supponit, sed causat; ergo ante illum determinatum est efficax est decretum quod id facit.

XXII. Ultimo, extant in hoc assertiones Augustini quæ prorsus convincunt efficaciam hanc intrinsicam, et ex natura rei convenientem decreto divino, quarum plurimas inter hæc theologica argumenta deduximus: alia supra ostendendo D. Thomam ex Augustino sumpsisse hanc doctrinam, et quomodo ipse posuerit efficaces vires nobis præstari a Deo ad hoc ut faciamus, et sic efficaciam ejus non a nobis expectare, sed nobis præbere. Nunc breviter insinuabo Augustinum non recessisse ab eo quod S. Hieronymus unico verbo resolvit agens contra Pelagianos in epistola ad Ctesiphontem, c. III: « Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum: dicit enim idem Apostolus: Deus est qui operatur in nobis, et velle et perficere. » Hic ego inquirō: Actus liber, sicut dicit Vasquez disputatione illa XCIX, c. VII, si non respicit causam primam, sed solum voluntatem creatam, nonne meus est? Velle ergo et currere, ut liberi actus, aliquid meum est: imo nihil tam meum, quam velle in quantum meum, sed velle illud in quantum meum, non sine Dei auxilio est meum: ergo in quantum liberum, (idem enim est liberum et meum) Dei auxilio eget, ut sit meum: ergo non solum respicit auxilium ut cooperativum, et simultaneum sibi, sed ut causativum sui, et antecedens se. Patet

consequentia, quia per auxilium simultaneum velle illud non fit meum, sed supponitur meum, et sic simul cum auxilio influit: non enim est simul cum alio nisi supponatur esse in se: nam si est ab alio, et ut sit in se, dependet ab alio, jam non simul cum illo, sed ab illo est, et consequenter illud est prius, quia ab illo istud est, si ergo ut sit simul cum auxilio, supponitur quod sit in se, et non ab auxilio: ergo jam est meum sine auxilio, ut simul influat cum auxilio, quod contradicit Hieronymo: licet enim ut influat in actum non sine auxilio simultaneo influat, tamen ut sit meum, id est, ut sit in se talis volitio, sine auxilio simultaneo est, quia ut simultaneo influat, supponitur esse in se, et esse meum. Hieronymus autem non dicit quod sine auxilio Dei non influet, aut non operabitur illud velle, sed quod non erit meum, id est, non existet in se, seu non exiet a me, exeundo enim est meum. Unde etiam in quantum meum, et ut liberum ad causam primam referendum est, quod Vasquez negat.

XXIII. Hanc doctrinam perpetuo confirmavit et docuit Augustinus ponens quod Deus intra voluntatem operatur, ut ex nolente volentem reddat, cum autem non transferatur voluntas de nolente in volentem, nisi per determinationem, et consensum suum, et per illud liberum quod est meum, si hoc Deus operatur intra cor, utique ex se efficaciam habet, non ex meo consensu expectat, quia ipsam determinationem mei consensus causat. Constat hoc ex Augustino libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, c. XIX: « Quis trahitur, si jam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut

volentes ex nolentibus fiant. » Et c. XX: « Deus cor regis occultissima et efficacissima potestate convertit et transtulit ab indignatione in lenitatem. » Vide quomodo vocat potestatem Dei efficacissimam, quod utique non haberet, si in ratione potestatis est solum indifferentissima, et solum offert concursum indifferentem et indeterminatum, redditur autem efficax solum denominatione extrinseca ab actu consensus, quem præscit, non a potestate qua causat. Jam hunc locum supra ponderavimus, sicut et illum ex libro de gratia et libero arbitrio, ubi iterum hanc efficaciam tribuit Augustinus viribus datis a Deo voluntati, ut faciat, non a consensu nostro expectare dicit: « Ipse, inquit, facit ut faciamus, præbendo efficacissimas vires voluntati. » Si præbet efficacissimas, quomodo ipsa expectat, et præscientia sua supponit, quod efficaces reddantur? Alia loca videantur supra et in tota disputatione tertia, ea enim, repetere molestissimum esset; præsertim cum sæpe dicat operari Deum intus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, ut libro de gratia et libero arbitrio, c. XXI, et alibi sæpe.

XXIV. Nec dici potest quod sensus Augustini est, operari Deum hunc motum, et hanc inclinationem mediante motione morali de se indifferenti, et objecti excitatione seu propositione. Contra enim est, tum quia dicit Deum intus in corde operari, id est, in voluntate, propositio autem objecti, seu motio moralis, intus in voluntate non fit, sed ab intellectu, qui est extra voluntatem; tum quia motio moralis innititur ipsi bonitati objecti, cujus virtute fit, Deus autem solum se habebit, ut proponens illud magis vel minus vivaciter; sed tamen non nisi mediante bonitate objecti movet, nec magis movet, quam ipsa bonitas

alliciat. At Augustinus dicit, inclinationem hanc voluntatis fieri ab ipsa omnipotentissima Dei potestate: non ergo solum mediante bonitate objecti, quæ bonitas non est potestas omnipotens, sed limitata allicientia. Dicit autem Augustinus libro de correptione et gratia, c. XIV, quod: « Sine dubio habet Deus humanorum cordium quo placeret inclinandum omnipotentissimam potestatem: » ergo inclinatio cordis in vi potestatis omnipotentissimæ fit, non sola allicientia finiti objecti, quæ omnipotentem potestatem non habet, sed finitæ allicientiae est. Tum denique, quia, ut sæpe vidimus, præsertim disputatione tertia hanc motionem moralem media illustratione et propositione objecti Pelagius non negabat, ut constat ex libro de gratia Christi, capite X, et tamen eam non sufficere docet Augustinus.

## ARTICULUS VI.

*Solvuntur argumenta contraria.*

Quæ opponuntur contra efficaciam decretorum, fere sunt eadem, quæ adstruuntur pro scientia media; hæc enim duo invicem se consequuntur, ut negata efficacia intrinseca decreti divini, scientia media debeat poni, ut Deus succurratur in directione infallibili suæ providentiæ. Tamen breviter dicimus illa reduci ad præcipua quatuor capita, unde omnis argumentorum vis hac parte dimanat.

Primum est, ex aliquibus auctoritatibus quibus sancti indicant Deum non prædeterminare, aut antecedere liberum nostrum arbitrium.

Secundum. et præcipuum, quia lædit libertatem, si ex se efficax est determinata est voluntas divina; nostra autem non potest eam avertere.